

No. 133. 1419. 26. Juli.

*P. Martin V. ertheilt mit gewissen Einschränkungen eine besondere Vergünstigung für den Fall, wenn Personen, die mit dem Kirchenbann belegt sind, nach Leipzig kommen und daselbst sich aufhalten.*

Martinus episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam. Honestis et humilibus supplicum votis illis praesertim, quae divini cultus augmentum et animarum salutem concernunt, libenter annuimus illaque favoribus prosequimur opportunis. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum . . . magistri civium consulum communis et parrochianorum parrochialis ecclesiae opidi Liptzk Merseburgensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod saepe contingit excommunicationis vel interdicti aut suspensionis sententiis ligatos pro diversis causis ad dictum opidum declinare et in eo quandoque pernoctare seu aliquandiu residere vel diutius immorari dictumque opidum ac nonnullas villas extra muros eiusdem opidi propterea etiam post ipsorum excommunicatorum interdictorum et suspensorum ab eodem opido recessum per aliquod tempus quandoque vigore generalis observantiae seu constitutionum provincialium vel synodaliū ecclesiastico subiacerē interdicto, nec non legatos delegatos conservatores et alios iudices auctoritate sedis apostolicae vel legatorum eius aut eorum subdelegatos seu episcopos Merseburgenses pro tempore existentes vel aliorum locorum ordinarios seu eorum officiales vel vicarios vel alios suis litteris dare in mandatis, quod excommunicatis vel interdictis aut suspensis in dicto opido existentibus missae et alia divina officia in eodem opido minime celebrentur ac interdictum servetur etiam post ipsorum excommunicatorum expulsionem ab eodem, propter quae inibi diminuitur divinus cultus et Christi fidelibus ecclesiastica non ministrantur sacramenta eorumque exinde apud deum lentescit devotio et fervor caritatis tepescit in animarum praeiudicium et scandalum plurimorum. Quare pro parte magistri civium consulum communis et parrochianorum praedictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc paterna diligentia curarem. Nos igitur, qui divinum cultum augeri et animarum periculis obviare intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati praefatis magistro civium consulibus communi et parrochianis, ut quam primum excommunicati interdicti vel suspensi praefati ab eisdem opido et villis recesserint aut expulsi fuerint, liceat clero opidi et villarum praedictorum inibi missas et alia divina officia etiam alta voce publice ianuis apertis celebrare ac ecclesiastica sacramenta ministrare, dummodo ipsi clerus magister civium consules commune et parrochiani causam non dederint interdicto nec id ipsis contigerit specialiter interdicti et contra vel praeter eorum voluntatem excommunicati interdicti vel suspensi opidum intraverint antedictum, tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, praedictis nec non apostolicis constitutionibus et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesum-